

DE OBLIGATIONE LITURGIAM HORARUM COTIDIE PERSOLVENDI

SUMMARIUM: Auctor, post statum quaestionis circa obligationem liturgiae horarum, I. - Explicat disciplinam sub Codice 1917 scilicet obligationis sub gravi singularum horarum cotidie. II. - Exponit deinde recognitionem disciplinae in Vaticano II: plures priorem retinere volebant, pluribus autem mitiorem proponentibus sive quoad obligationem, sive quoad singulas horas, sive diversam structuram proponentes, vel etiam formulas alternativas orationis. Recolit auctor Commissionis conciliaris propositiones et PP. modos. Deinde recolit praeparationem postconciliarem editionis de Liturgia Horarum, additis quibusdam conclusionibus ex omnibus dictis sub II. III. - Breviter de disciplina Codicis quae mitigationem prout expositam non videtur mutasse. IV. - Tandem quasdam addit considerationes de veritate horarum, de commutatione cum alia actione liturgica, de modo recitationis Horarum.

Institutionis Generalis Liturgiae horarum vestigia insequentes, auctores sollerter disserunt de natura et de momento Liturgiae horarum, de eius structura et celebratione, de eiusdem excellentia spirituali utpote pietatis fonte et orationis personalis nutrimento¹; raro tamen aut leviter de obligatione

¹ Inter alia placet citare AA.VV., *Liturgia delle ore. Documenti ufficiali e Studi. Quaderni di Revista Liturgia* n. 14 (Torino-Leumann 1972) 567 p.; V. RAFFA, *La nuova Liturgia delle Ore. Presentazione storica, teologica e pastorale* (Milano 1971) 176 p.; S. FAMOSO, *Guida pratica per il nuovo ufficio divino* (Brescia s/d) 197 p.; A.G. MARTIMORT, "La prière des heures", in A.G. MARTIMORT (ed.), *L'Eglise en prière*, vol. IV (Paris 1983) 167-293, cum copiosa bibliographia; J. LÓPEZ MARTÍN, *La oración de las horas* (Salamanca 1984) 251 p. Videas quoque Epemerides *La*

ipsa Liturgiam horarum cotidie persolvendi ex parte eorum qui tale mandatum ab Ecclesia receperunt, «*ut munus totius communitatis certe et constanter saltem per eos adimpleatur, et oratio Christi indesinenter perseveret in Ecclesia*»².

Nec mirum quidem plures ob causas. Quandoque agitur de reactione contra nimiam severitatem obligationis iuridicae temporis anteacti necnon de cura vitandi ne «*Officium... sit deinceps fastidiosum onus diei, ut sepiissime occurrit etiam pro bonis sacerdotibus*»³; quandoque de optimismo anthropologico et iuridico, ac si sufficeret excellentiam et valores ostendere ut Officium Divinum libenter et desiderabi-

Maison-Dieu 105 (1971) 1-179; *Seminarium, Commentarii pro seminariis* 24 (1972) 1-84.

² *Institutio Generalis de Liturgia horarum* (= IGLH) 28, in *Enchiridion Vaticanum*, vol. 10 (Bologna 1981-1990) (= EV), vol. 4/162; videas quoque *Decr. Presbyterorum Ordinis*, 13. De sensu theologico huius orationis placet citare S. Augustinum: «...quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde Filium separemus, et quando precatur corpus Filii, non a se separet caput suum, sitque ipse unus Filius Dei, qui et oret pro nobis, et oret in nobis, et oretur a nobis.

Orat pro nobis, ut sacerdos noster; orat in nobis ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster. Agnoscamus ergo et in illo voces nostras, et voces eius in nobis» (Ex *Enarrationibus in psalmos*, Psalmus 85: CCL 39, 1176).

³ EXCMUS. AGUIRRE, *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Vaticani II*, Vol. 1, Pars 2 (Typis polyglottis vaticanis 1970) 428 (deinceps AS I.2.428). Frequenter de hac re Patres locuti sunt, «optantes ut breviarium "tali modo aptetur ut ab omnibus possit intelligi, amari et cum devotione recitari"; "fiat fons uberrimus et delectans"; "verum nutrimentum vitae spiritualis et quotidiani laboris apostolici, nedum sit aliquid addititium et quasi mere disciplinare in vita sacerdotum" (Relatio Excmi. A. MARTIN circa emendationes propositas [de Officio divino]: AS II.3. 128-129).

liter ab omnibus ad tale munus deputatis persolvatur⁴; quandoque etiam ex timore de mentalitate nostri temporis circum autonomiam personalem quae fastidiose reageret contra exigentiam iuridicam ipsamque orationem quasi odiosam redderet⁵.

Disciplina tamen nunc vigens, ad mentem Concilii Vaticani II instaurata, pergit in sermone de obligatione Liturgiam Horarum cotidie persolvendi (cf. c. 276, § 2, 2º) vel ut alias ait: «...*qui mandatum ab Ecclesia acceperunt Liturgiam Horarum celebrandi integrum eius cursum cotidie persolvendi obligatione adstringuntur*»⁶.

Quaenam ergo est mens et materia huius obligationis? Dici posset quod in hac re omnia restant sicut ante Concilium Vaticanum II? Vel quod detur contradictio inter disciplinam Codicis et illam instauratam in Institutione Generali de Liturgia Horarum ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia? Vel, e contra, quod non obstantibus verbis Codicis, mens Ecclesiae est de re enixe commendata sed non iuridice vinculante? Quid valet ultimo denique assertio illa de obligatione diversificata iuxta quam obligatio iuridica etiam nunc asserenda gradus admittit, severior pro

⁴ Contra talem mentalitatem cf. EXCMUM. FRANIC, ideo quod «*lex et obligatio ex lege oriens vehementer adiuvat infirmitatem nostram*»: AS I.2.422.

⁵ P. EYT, de anti iuridismo in Ecclesia disserens, inter alia ait: «*La revendication d'autonomie et de liberté des personnes exclut toute réglementation que celles-ci ne se donneraient pas ici et maintenant*» (P. Eyt, «L'anti iuridisme et sa portée dans la vie récente de l'Eglise», in «*L'année canonique*» 27, 1983, 19).

⁶ IGLH 29. Redactio ante variationes inductas post promulgationem Codicis Iuris Canonici sic sonabat: «...*qui mandatum ab Ecclesia acceperunt* (cf. n. 17) Liturgiam Horarum celebrandi, integrum eius cursum cotidie persolvant» (EV 4/164).

precibus matutinis et vespertinis («*ex venerabili universae Ecclesiae traditione duplex cardo Officii cotidiani*»: SC 88), mitior pro aliis?

Hanc rem aggredientes, nolumus iterum redire ad «*fastidiosam exigentiam*» denuntiata a Patribus Conciliaribus, sed mentem Ecclesiae investigare necnon et functionem pedagogicam legis ostendere prout «*ea vehementer adiuvat infirmitatem nostram*»⁷.

En iam ratio tractationis:

- disciplina «a qua»: CIC 1917, can. 135;
- recognitio huius disciplinae iuxta Vaticanum II;
- disciplina CIC 1983, can. 276;
- de nonnullis observationibus complementariis.

1. Disciplina «a qua»: CIC 1917, can. 135.

1. Nostrum non est historiam Officii Divini nec obligationis illud recitandi nunc exponere⁸. Sufficiat citare clarissimum WERNZ, iuxta quem, clericis in maioribus ordinibus constitutis, ratione beneficii, obligatio recitandi horas canonicas expresse iam a tempore imponebatur; dum vero ceteri clerici, solo titulo ordinationis absque ullo beneficio, ex consuetudine non ex scripta lege, paulatim obligati sunt⁹.

In Codice Iuris Canonici a. 1917 praescriptum de

⁷ Cf. EXCMUS. FRANIC, supra nota 4.

⁸ Pro re nostra sufficit A.E. MARTIMORT, «*La prière des heures*», l.c. Liceat quoque citare auctores classicos in hac re: P. BATIFFOL, *Histoire du Breviaire Romain*, 3 edit. (Picard 1893): S. BAÜMER, *Geschichte des Breviers* (Freiburg i. B. 1895).

⁹ Cf. F.X. WERNZ, *Ius Decretalium*, tom. III, pars I, ed. 3^a (Prati 1915) 292-293.

horis canonicis cotidie et integre recitandis imponitur «*omnibus clericis in maioribus ordinibus constitutis, ratione ordinationis non beneficii*», iuxta schema paratum in Vaticano I, quamvis aliquo modo mitigatum. Omittit enim clausulam «*sub gravis culpae reatu*», quae ibi dabatur¹⁰.

2. Verum est quod dein auctores absque ulla mitigatione praeceptum hoc interpretaverunt¹¹. Immo opinio communis apud moralistas erat de obligatione ex genere suo gravi et, ut ait clarissimus ZALBA, «*omissio cuiusvis horae, sin minus propter extensionem, saltem quia afficit partem principalem Officii in se completam, censeatur gravis*»¹².

¹⁰ En textus paratus: «*Clerici cuiusvis ritus et nationis, beneficiati, vel sacris initiati ordinibus, quamvis nullum ecclesiasticum beneficium fuerint assecuti, meminerint se ad divinum officium integrum quotidie sive in ecclesia sive privatim recitandum sub gravis culpae reatu teneri*» (Mansi, *Amplissima collectio conciliorum*, tom. 50, Arnheim et Leipzig 1924, 518). De hoc schemate adnotat WERNZ: «*...si in legem universalem transiisset, profecto maiore quam hucusque claritate iure scripto obligationem vel ex solo titulo ordinis sacri sanxisset, sed etiam in Ecclesia orientali attenta praxi de facto vigente multum auxisset rigorem disciplinae*» (l.c., p. 293).

¹¹ Cf. A. ALONSO LOBO, in *Comentarios al Código de Derecho Canónico*, vol. I (Madrid 1963) 423; PH. MAROTO, *Institutiones Iuris Canonici*, t. I (Romae 1921) 619-620; B. OJETTI, *Commentarium in Codicem Iuris Canonici, De personis* (Romae 1928) 129-137; E.F. REGATILLO-M. ZALBA, *De statibus particularibus tractatus* (Santander 1954) 79-85; A. VERMEERSCH-I. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, ed. 8^a (Mechliniae-Romae 1963) 256.

¹² M. ZALBA, *Theologiae Moralis Compendium*, vol. 2 (Madrid 1958) 199-200; H. NOLDIN-A. SCHMITT, *De praeceptis Dei et Ecclesiae*, ed. 27 (Barcelona 1951) 693-696.

II. Recognitio disciplinae iuxta Vaticanum II.

1. In schemate de sacra Liturgia Patrum considerationi submisso, iterabatur disciplina iam vicens etiam pro clericis choro non obligatis: «*Clerici choro non obligati, si sunt in Ordinibus maioribus, cotidie, sive in communi, sive a solo, tenentur totum Officium persolvere*»¹³.

1) Durante discussione conciliari, plures fuerunt Patres qui talem confirmationem disciplinae commendaverunt quique contra mitigationem obligationis acriter conclamaverunt¹⁴. Rationes ab his Patribus allatae plures fuerunt: a) ex necessitate orationis necnon ex singulari valore huius orationis tam pro vita spirituali individui quam pro munere pastoralis apprimè explendo; b) ex exemplo sanctorum; c) ex paternis admonitionibus RR. Pontificum; d) ex reactione necessaria contra nimium activismum; e) ex refutatione obiectionum contra talem obligationem, scilicet propter defectum temporis vel ob Officii structuram monasticam vitae pastoralis hodiernae non aptatam, etc...

2) Potior tamen sententia mitigationem disciplinae propugnabat, quamvis diverse pro diversitate Patrum configuraretur. Nonnulli enim obligationem

¹³ «Schema constitutionis de sacra Liturgia», n. 73.b, in SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIUM VATICANUM SECUNDUM, «*Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus*». Series Prima (Typis polyglottis vaticanis 1962) 187.

¹⁴ Cf. Emmus. Card. WYSZYŃSKI (AS I.2.394), Emmus. Card. LEFEBRE (AS I.2.396), Excmus. FLORES MARTÍN (AS I.2.438), Excmus. CARLI (AS I.2.463), Excmus. SOUTO VIZOSO (AS I.2.468), Excmus. FRANCO GASCÓN (AS I.2.525), Excmus. NGUYEN-VAN HIEN (AS I.2.536), etc.

retinebant sed non sub gravi sed sub levi praescriptam¹⁵.

Alii proponebant obligationem ad partes fundamentales Officii restringere¹⁶. Eiusdem sententiae plures alii, obligationem protrahebant etiam ad officium lectionum¹⁷. Sunt etiam aliqui Patres, semper intra praedictam sententiam de mitigatione obligationis, qui maluerint ut Officium constet tribus essentialiter horis: ad initium diei, ad vespertas et ad medium diei¹⁸. Vel qui modo generaliori suggerunt:

¹⁵ En aliqua exempla: «...optandum est ut haec obligatio sub peccato mortali omnino dispareat. Sicut enim sacerdotes... alia ad quae sub eadem obligatione non tenentur, adimplent... etiam recitationem Breviarii adimplenturi sunt» (EXCMUS. MANRIQUE: AS I.2.543); «Haec autem obligatio non sit sub poena peccati mortalis» (EXCMUS. LA REVOIRE MORROW: (AS I.2.537); «Reducatur obligatio Officii ad peccatum veniale» (EXCMUS. BEGIN: AS I.2.500).

¹⁶ Sic v. gr. Card. VALERI: «Nonne haec gravis obligatio restringi posset ad partes fundamentales Officii, scil. ad Laudes et ad Vespertas? Talis vel similis dispositio auferret frequentes anxietates sacerdotum qui ministerio pastoralis addicti saepe dubitant an motivum proportionatum habeant ad omittendum divinum Officium vel aliquam partem eiusdem» (AS I.2.331); EXCMUS. CAPOZZI: «Omnes Ordinarii facultate generali gaudeant concedendi suis sacerdotibus vere gravatis laboribus, ut pensum officii diei reducatur pro ipsis ad recitationem Laudum et Vesperum» (AS I.2.505).

¹⁷ Cf. Emmus. Card. LEGER (AS I.2.334), EXCMUS. AGUIRRE (AS I.2.427), EXCMUS. VIELMO (AS I.2.441), EXCMUS. REUSS (AS I.2.448), EXCMUS. RODRÍGUEZ QUIRÓS (AS I.2.565), EXCMUS. ARCILLA (AS I.2.499).

¹⁸ Sic EXCMUS. GARRONE: AS I.2.455; similiter EXCMUS. LASZLO: «Quia sacerdos saecularis tantum mane, meridie et horis vespertinis orationi incumbere potest, officium recte contractum ad has tres partes diei distribuatur et quidem in 1) officium matutinum; 2) officium meridianum; 3) officium vespertinum» (AS I.2.538).

«...aptatio Officii divini necessitatibus cleri muneri pastoralis addicti fieri debet per mitigationem (in quibusdam saltem circumstantiis) longitudinis et obligationis iuridicae, non autem per mutationem structurae Officii...»¹⁹

Nec desunt qui novam structuram magis aptatam ministerio pastoralis sacerdotum suggerant, hac tamen formula alternativa: *«Si haec nova structura Breviarii non approbatur, saltem restringatur gravis obligatio sub peccato mortali»²⁰*. Formula alternativa, ab aliquibus Patribus proposita, indueret novam formam:

«Propono... ut Concilium sacerdotibus optionem det persolvendi totum pensum diurnum aut tantum temporis in id insumendi quantum pro recitatione totius ordinarie requiritur, scil. unam horam, quin omnes et singulae partes de facto persolvantur»²¹;

vel etiam:

«Pro clericis... choro non obligatis, oratio quotidiana pro Ecclesia debet potius consistere in pia et meditativa lectione Sacrae Scripturae ad determinatum tempus — et quidem sine necessitate vocalizationis... De iudicio competentis auctoritatis territorialis, satisfaciat obligationi qui totum Officium persolvit... vel qui pie legit (etiam mentaliter) ex Sacra Scriptura pro tempore bene determinato»²²;

vel insuper:

«...duo ergo praecavenda sunt: celeritas et formalismus. Praecaveatur celeritas si obligatio fertur non iam in extensionem materiae legendae, sed in spatium temporis occupandi.

¹⁹ Excmus. FLORIT: AS I.2.523-524.

²⁰ Excmus. REITERER et alii quattuor: AS I.2.561.

²¹ Excmus. SCHRÖFFER: AS I.2.575.

²² Excmus. McEENEY: AS I.2.545.

Si enim obligatio fertur in spatium occupandum, iam non adest propensio ad explendam maiorem quantitatem materiae in minore quantitate momentorum, sed e contra, loco propensionis ad celeritatem, advenit attentio ad id quod legitur: quae attentio est via ad vitam et remedium ad malum»²³.

Formulam alternativam peculiarem proponit Episcopus Parentinus et Polensis: «*Propono humiliter ut unicuique clerico in maioribus Ordinibus constituto, post annum 60 expletum, recitatio Rosarii B.M.V. loco Breviarii ipso facto concedatur*»²⁴. Vel adhuc amplius iuxta duos Episcopos Hollandiae:

«Antiquum principium prudentiae christianae, nempe "Officium pro officio valet" prudenter extendatur ad casus, in quibus sacerdotes ab officiis ecclesiasticis diuturnius occupantur, v. gr. dum obstricti sunt binationi vel trinationi Missae, plurimis matrimoniis adsistendis eadem die et his similibus. Secus formalismo Breviarii persolvendi ansa praebetur»²⁵.

Hac propositione ducti pervenimus ad aliam versionem huius mitigationis, quam plurimi Patres sustinent: *sive* horas canonicas quae cum alia actione liturgica concurrant, supprimendo; *sive*, simpliciori modo, obligationem ipsam totius Officii supprimendo pro dominicis et festis; *sive* ampliorem facultatem Episcopis et Superioribus agnoscendo dispensandi suis subditis ab obligatione privatae recitationis divini Officii²⁶.

²³ Excmus. ZIADÉ: AS I.2.583.

²⁴ Excmus. DRAGUTIN: AS I.2.552.

²⁵ Excmus BEKKERS et Excmus. MOORS: AS I.2.501.

²⁶ Cf. Excmus. CAPOZZI (AS I.2.505); Excmus. RADESALES (AS I.2.527); Excmus. GONZÁLEZ ROBLEDO (AS I.2.529); Excmus. HANNAN (AS.2.531); Excmus. MULROONEY (AS I.2.550-

Patribus in favorem obligationis mitigatae non arridet nec mera facilitas nec minor aestimatio Officii divini vel venerabilis Ecclesiae traditionis, sed talis huius muneris aptatio vitae sacerdotum in saeculo degentium ut sit eis firmissimum praesidium virtutisque auxilium necnon actionis pastoralis adiumentum, a quolibet formalismo abhorrens. Hac de causa, non raro insimul cum fervida apologia Officii divini, ad-dunt ut Excms. CEKADA:

«Hac occasione abstrahere vellem quaestionem, utrum obligatio orandi Officium divinum esset praecipienda sub gravi an non. Hoc videant consules! Sincere fateor, mihi minus placere ubique creandi occasiones peccati mortalis et eas applicandi etiam ad minutissimas omissiones vel transgressionem. Contrarium magis convenire videtur dignitati humanae substantiae. E. gr. Missa quotidiana sacerdotibus non est praecepta sub gravi: attamen paucissimi sunt qui eam omittunt»²⁷.

2. Commissio conciliaris de sacra Liturgia attente consideravit omnia haec²⁸; atque Patribus proposuit:
1) sint Laudes et Vesperae cardo Officii divini in die;

551); Excms. QUIROGA PALACIOS (AS I.2.332-333); Excms. GUANO (AS I.2.458); Rvdmus. A. FERNÁNDEZ (AS I.2.461); Excms. VAN HEES (AS I.2.472); Excms. DE SMEDT (AS I.2.511); Excms. KIWANUKA (AS I.2.537); Excms. LAZSLO (AS I.2.538); Excms. MELAS (AS I.2.547-548); Excms. REMY (AS I.2.562); Excms. RENDEIRO (AS I.2.563). Rvdmus. Abbas REETZ facultatem dispensandi agnosceret etiam confessoribus (AS I.2.559). Excms. PRINTESIS adducit consuetudinem ritus bizantini de commutatione Breviarii pro aliis actionibus liturgicis quibus clericus adstat: AS I.2.558.

²⁷ AS I.2.507-508.

²⁸ «...summa diligentia, omnes Vestrae observationes et emendationes a Subcommissione primum, deinde a Commissionem ipsa perpensas sunt» (Relatio Excmi. A. MARTIN, cit. (supra nt. 3): AS II. 3. 124).

2) supprimatur Hora Prima, utpote quae inutiliter Laudes duplicet; 3) duas e tribus aliis horis minoribus facultativae fiant; 4) hora quae Matutinum vocatur ita aptetur ut qualibet diei hora recitari valeat; 5) Completorium servetur, sed abbreviatum; 6) opportunaes commutationes divini Officii cum actione liturgica a rubricis definiantur; 7) latior potestas Ordinariis agnoscatur dispensandi suos subditos ab obligatione Officii recitandi ex toto vel ex parte²⁹.

Omnes hae emendationes Patribus placuerunt³⁰. Nonnulli tamen Patres «modos» proposuerunt, sive ut gravis obligatio clare indicetur (5 Patres), sive ut expresse dicatur «*absque gravi obligatione*» (1 Pater), sive ut explicite «*nulla obligatio imponatur, ne ex hac impositione Orientales mirentur*» (1 Pater)³¹. Quibus omnibus Relator respondet: «*De istis omnibus in nostra Commissione disceptatum est... melius erit si intactus, ut iacet, remaneat articulus*»³². Quae omnia, insimul cum ceteris responsionibus ad modos circa universum caput IV Constitutionis de sacra Liturgia Patres fere unanimiter suffragaverunt³³.

Verum est quod in textu suffragato magnae non dantur innovationes quoad obligationem relate ad textum priorem. Clare tamen patebat quod obligatio totum Officium persolvendi non eodem modo ac prius interpretanda erat. Hanc conclusionem suadet et te-

²⁹ Cf. Relatio Excemi. A. MARTIN, cit. (supra nt. 3), in AS II.3.133-135.

³⁰ Cf. AS II.3.215 de suffragatione ad emendationes propositas.

³¹ Relatio Excemi. A. MARTIN circa modos caput IV schematis de sacra Liturgia respicientes: AS II.5.718.

³² Ibid., p. 718.

³³ AS II.5.757.

nor discussionis conciliaris de hac re et votum prolatum a coetu laboris de hac materia intra Commissionem, scil. a Subcommissione IX cui praeerat Excmus MARTIN, *Relator*:

«Nihil mutetur in textu schematis. Mens vero subcommissionis est ut sub gravi praescribantur tantum horae maiores; quod si placet Commissioni et Concilio haec interpretatio, moralistarum erit et commissionis postconciliaris illam publici iuris facere»³⁴.

3. Constitutione *Sacrosanctum Concilium* iam promulgata et constituto Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia³⁵, et coetus de Officio divino intra ipsum constitutus est, qui anno 1969, Episcopis totius orbis misit volumen *Descriptio et Specimina Officii divini*, in cuius praenotandis dicebatur:

«N. 66. [...] Placuit ut mitius enuntietur obligatio Officii, quo suavius accipiat et hodiernis adiunctis magis accommodetur. Sic ergo deinceps enuntiatur:

N. 67. Presbyteri quotidie Officium divinum recitent, Horarum veritate servata. Illas vero Officii divini horas quae cardo eiusdem sunt, idest, Laudes uti preces matutinas (non ultra meridiem recitandas) et Vesperas, uti preces vespertinas (non ultra mediam noctem dicendas), nunquam omitant nisi gravi de causa. Exhortationi vero a Concilio Oecumenico Vaticano factae (Const. Dei Verbum, 25) de assidua lectione Sacrae Scripturae presbyteri non tantum per lectionem privatam sed etiam atque aptius obsequuntur, per quotidianum Officium lectionis, quod est celebratio liturgica

³⁴ COMMISSIO DE SACRA LITURGIA, Relatio IX Subcommissionis circa caput de Officio Divino (Romae 1963) 25 (pro manuscripto).

³⁵ Cf. Motu Proprio, «*Sacram Liturgiam*», 25 ianuarii 1964, in AAS 56 (1964) 139-144.

Verbi Dei, cuius omissio protracta in presbytero constitueret gravem neglegentiam»³⁶.

Acceptis emendationibus et suggestionibus, novus iam textus redactus est atque transmissus, die 3 martii 1970, Congregationibus pro Doctrina Fidei, pro Clero, pro Religiosis et Institutis Saecularibus, pro Educatione Catholica necnon et pro Evangelizatione Populorum. Textus emendatus erat:

«N. 29. Sacerdotes alique clerici, qui mandatum ab Ecclesia acceperunt Liturgiam Horarum celebrandi, integrum eius cursum quotidie persolvant, horarum veritate, quantum fieri potest, servata. Substantialis huius obligationis observantia graviter tenet.

«Debitum in primis momentum tribuant Horis quae eiusdem Liturgiae sunt cardo, id est Laudibus matutinis et Vesperis: caveant ne has Horas omittant, nisi gravi de causa. Praeterea, per cotidianum Officium lectionis, quod est praecipue celebratio Verbi Dei, obsequantur exhortationi a Concilio Vaticano II factae de assidua lectione Sacrae Scripturae, ideoque Officii omissionem iteratam censeant gravem esse neglegentiam.

Cordi insuper erit recitatio Horae mediae, quo melius integrum diem sanctificent, et Completorii, quo ante cubitum totum "Opus Dei" perficiant seseque Deo commendent»³⁷.

Unde cadit limitatio temporis pro singulis horis intra diem, instat in obligatione recitandi Officium integrum quamvis diversificatio detur quoad gravitatem obligationis, introducit conceptum de observantia substantiali,

Congregationes sive pro Doctrina Fidei sive pro Clero bene acceptant novum textum, praesertim

³⁶ Archivium S. Congregationis pro Culto Divino. La liturgia delle Ore, fasc. 3 «Obbligatorietà dell'Ufficio».

³⁷ Ibid.

quoad clausulam de «substantiali observantia», in aliis magis secundariis diverse sentientes: prima magis concordat cum assertione de gradibus obligationis, altera sublineat obligationem ipsam³⁸.

Die 11 iulii 1970 textus iterum perficitur, sed in re nostra fere ad litteram manet³⁹. Ipsa vero Congregatio pro Cultu Divino, post attentam considerationem, nonnulla innovat in textu, nam: a) aufertur clausula «*substantialis observantia graviter tenet*»⁴⁰

«ad vitandam casuisticam sine fine et insuper quia expressio "integrum cursum cotidie persolvant" sufficiens videtur ad definiendam obligationem cotidianam»:

unde emendatio commendatur non ob mutatam mentem de obligatione sed ratione paedagogica, ne ansa

³⁸ Ibid. In quadam relatione de historia elaborationis textus, dicitur: «*Il Santo Padre, nell'Udienza concessa al Segretario della SCCD l'8 luglio 1970, esprimeva il suo pensiero, secondo il quale si sarebbe dovuto fare forza sulla "substantialis obligatio"* (Ibid.).

³⁹ Ibid.

⁴⁰ Haec clausula venit a Constitutione Apostolica *Paenitemini*, 17 februarii 1966, in cuius parte dispositiva, art. II § 3 dicitur quoad dies poenitentiae: «*eorum substantialis observantia graviter tenet*» (EV 2/646).

Ad propositum dubium de sensu huius clausulae, auctoritativa responsio fuit: «*illa substantialis observantia referenda est non ad singulos dies obligatorie servandos sed ad complexum dierum poenitentialium cum impositis poenitentiis custodiendum*»: Congregatio Concilii, 24 februarii 1967: AAS 59 (1967) 229; EV 2/646 in nota. Haec responsio iam parata erat quibusdam aliis responsionibus particularibus: cf. S.C. Concilii, Responsum Conferentiae Episcopali Hispaniae circa sensum et obligationem «substantialis observantiae» novae legis universalis, die 22 aprilis 1966, in X. OCHOA, *Leges Ecclesiae*, vol. III (Roma 1972) 4972-4973, cum voto consultoris. Videas quoque W. Bertrams, «Note sulla parte dispositiva della costituzione apostolica «Poenitemini», in W. BERTRAMS, *Quaestiones fundamentales Iuris Canonici* (Roma 1969) 681-683.

praebeatur casuisticae; b) circa Officium lectionis, obligatio exprimitur forma positiva, eadem tamen lege et mente:

«Per Officium lectionis, quod est praecipue celebratio Verbi Dei, munus peculiari ratione sibi proprium cotidie adimpleant Verbum Dei in seipsos recipiendi, quo perfectiores fiunt discipuli Domini et profundius sapiant investigabiles divitias Christi»⁴¹.

Ultimus gressus in elaboratione textus nonnulla mutavit de redactione, non de substantia, *«ad uniformitatem dictionis et ad clariorem expresionem obligatorietatis quoad religiosos et quoad canonicos»*, sicque iam Institutio Generalis de Liturgia Horarum publici iuris facta est die 2 februarii 1971⁴².

4. Ex universa hac laboriosa recognitione disciplinae, a Constitutione *Sacrosanctum Concilium* usque ad Institutionem Generalem de Liturgia Horarum, haec videntur concludenda:

1) sub aspectu formali elucet magna cura qua res de obligatione Horarum examinata et perpensa est intra ampliorem et potioem quaestionem de sensu theologico et pastoralis huius officii, labores Commissionis ipso Romano Pontifice prope insequente.

2) sub aspectu substantivo patet quod:

a) obligatio Officii divini pro clericis (salva pecu-

⁴¹ Ibid.

⁴² SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO, I. Decretum *Cum editio voluminum* quo Institutio Generalis de Liturgia Horarum divulgatur antequam editio typica promulgetur, Prot. n. 165/71, 2 februarii 1971: *Institutio Generalis de Liturgia Horarum* (Typis polyglottis Vaticanis — editio non typica — 1971). II. *Institutio Generalis de Liturgia Horarum* (editio typica), 11 aprilis 1971, in *Notitiae* 7 (1971) 153-209; etiam in EV 4/132-424. Quoad variationes inter utrumque textum, cf. editionem in supra citato EV.

liari disciplina quoad diaconos permanentes) retinetur, ut constat ex textu et ex historia textus. *Ex textu*: «...integrum eius cursum cotidie persolvant...» interpretatum est a redactoribus IGLH veluti similis illi «obligatione tenentur», adhibito apud SC 96⁴³. Si vero quaeras cur non dicatur adhuc clarius *obligatione tenentur*, data eius similitudine, responsio forse habetur in nova quadam ratione paedagogica qua clerici non sola legis observantia adducantur, sed perspecta rei intima praestantia necnon convenientia pastoralis et ascetica impelli se sentiant. Est enim valde optandum, ut apud omnes oratio publica Ecclesiae ex renovatione spiritus procedat atque ex agnita necessitate interna totius corporis Ecclesiae, quae ad imaginem Capitis sui aliter describi nequit quam ut Ecclesia orans⁴⁴. *Ex historia*: agebatur enim de applicando, non de enmendando, praescripto conciliari: «*Clerici... obligatione tenentur totum Officium persolvendi*» (SC 95).

b) obligatio Officii Divini pro clericis, etsi retinetur, hoc fit non absque mitigatione:

— quia in IGLH, quamvis recitatio Officii integri praescribatur, *ordo* tamen statuitur inter horas diversas, quarum aliae sunt veluti cardo huiusmodi Liturgiae, nempe Laudes matutinae et Vesperae, quas ne

⁴³ In relatione citata supra nota 38 dicitur: «...l'espressione "integrum cursum cotidie persolvant" sembrava sufficiente ad esprimere l'obbligo quotidiano. L'espressione veniva giudicata equivalente a quella del c. 135: obligatione tenentur» (Archivum SCCD, Liturgia delle Ore, fasc. 3: Obbligatorietà dell'Ufficio).

⁴⁴ Const. Apostolica «*Laudis Canticum*», 1 nov. 1970, in EV 3/2823. Haec ratio paedagogica cohaeret et cum mentalitate nostri temporis et cum modo agendi PAULI VI curantis vitare quidquid in ipsa expressione esset «ostico e non accettabile» (Relatio citata supra nota 38).

omittant «*nisi gravi de causa*» (IGLH 29)⁴⁵. Statuitur criterium, ad determinandam obligationem, notabilis pars non tam ratione quantitatis quam ratione *momenti* ad temporis consecrationem obtinendam (cf. SC 84, 95-96).

— quia praecipitur *substantialis observantia* huius obligationis quae graviter non laeditur qualibet omissione singulari sed omissione magis complexiva, pro momento horarum diverse interpretanda, sicut pro diebus poenitentiae auctoritative interpretatum est⁴⁶.

⁴⁵ Sic iam apud SC 89, a, Laudes et Vesperae, «*ex venerabili universae Ecclesiae traditione duplex cardo Officii cotidiani*», dicuntur. Apud IGLH 272 rursus dicitur: «*...cum non omnes Horae eiusdem sint ponderis, expedit ut etiam per cantum illae prae ceteris extollantur, quae revera cardines sunt Officii, nempe Laudes matutinae et Vesperae*».

⁴⁶ Cf. supra nota 40. Quæri potest quid valeat «*substantialis observantia*» in re nostra. Ardua videtur responsio, etsi haec, ut patet, respiciat meram considerationem *obiectivam* (*quidquid sit, ergo, de responsabilitate subiectiva, iuxta leges morales diiudicanda*). Substantialis inobservantia consideraretur, ut videtur, omisio (sine causa) Laudum et Vesperarum per hebdomadam vel eius omisio saltuaria, sed frequens; omisio Officii lectionis protractior (per duas tresve hebdomadas?); ceterae horae praescribuntur, sed non sub gravi, attento et textu («*cordi insuper erit recitatio Horae mediae et Completorii*»: IGLH 29) et historia textus, ut constat ex dictis supra.

Prof. URRUTIA, egregie disserens de obligatione legis ecclesiasticae («*La obligación de la ley eclesiástica*», in J. SÁNCHEZ-F. AZNAR [ed.], *Estudios canónicos en homenaje al profesor D. Lamberto de Echeverría*, Salamanca 1988, 121-146), contrarius est sententiae de obligatione *substantialis observantiae*, etiam quoad leges respicientes sanctificationem personalem: a) quia haec sententia «*no deja de tener el inconveniente de no referirse más que a un tipo de leyes eclesiásticas, las ordenadas a la santificación personal*» (l.c., p. 141); b) quia benignitas in interpretanda obligatione, sive ex parte auctoritatis sive ex parte auctorum et fidelium, manifestata est sub influxu antiijuridismi, quod fuit

— obligatio nectitur cum titulo ordinis sacri: quia clerici sunt, pro plebe sua ac pro toto Dei Populo ex officio precentur (cf. IGLH 17; LG 41); cui adiungitur peculiare mandatum Ecclesiae (cf. IGLH 17). Ex hoc capite obligatio aptius fundatur quam mero titulo extrinseco, nempe ratione beneficii, sicut generatim auctores ante Vaticanum II, et melius ac persuasiori modo recipi potest a clericis⁴⁷. Mens enim disciplinae, ut clare patet, non est attenuare orationem in vita clericorum sed cavere ut haec praeclara oratio exerceatur non ut munus mere servile sed in veritate, ita ut foveat ac nutriet ministerium salutis.

— absonum non videtur applicare ad rem nos-

phenomenon transitorium; c) quia tandem aliquando talis benigna interpretatio induceret ad negationem obligationis ipsius observantiae substantialis.

Liceat amica contestatio: a) legislator potest ipse determinare vim alicuius obligationis legalis ita ut nec decadat in meram commendationem, nec quamlibet omissionem individualement gravem iudicet; et de facto ita fecit, ut constat ex documentatione allata; b) benignitas in hac materia radices habet profundiores quam merum phenomenon transitorium, scil. reflexio de indole legis ecclesiasticae (saltem respicientis sanctificationem personalem; cf. W. BERTRAMS, "*Note sulla parte dispositiva...*", cit. (supra nota 40) et observantia erga sententiam Patrum maioritariam in aula conciliari; c) difficultas in determinanda «*omissione sostanziali*» nihil officit vi legis ita elaboratae a legislatore, attenta "salute animarum". Ex alia parte solutio allata a prof. URRUTIA sive via dispensationis, sive via aequitatis ultronee accipitur, modo ei adiungatur mitior tenor legis iam a promulgatione.

⁴⁷ Iuxta hanc ipsam rationem paedagogicam magis persuasivam quam imperii bene intelligitur quod in dialogo Episcopi cum ordinandis ad diaconatum sic interroget electis: «*¿Prometéis conservar y acrecentar el espíritu de oración, tal como responde a vuestro ministerio, y fieles a este espíritu, celebrar la Liturgia de las Horas, según vuestra condición, para el bien de la Iglesia y de todo el mundo?*» (Ritual de Ordenes, Madrid 1977, 52).

tram illud quod quandoque scripsit CAJETANUS, loquens de quibusdam praeceptis positivis de clericis: «...*Verum horum et huiusmodi transgressio si temeritas, si contumacia, si contemptus desit, non est peccatum mortale, iudicio meo, quantum ex praecepto positivi iuris pendet*»⁴⁸.

— Ex alia parte, talis benignitas in definienda obligatione res mira non videtur si consideres disciplinam Orientalium, quibus non exstat Officii obligatio iuridica ex sola ratione ordinationis⁴⁹, quamvis etiam inter sacerdotes vigeat recitatio horarum, immo et opportunaes commutationes⁵⁰.

III. De disciplina in CIC 1983: can. 276 et 1174

1. Quaestio de obligatione Liturgiae Horarum iterum venit, ratione Codicis Iuris Canonici promulgati, post duodecim annos ab Institutione Generali de Liturgia Horarum. Daturne emendatio disciplinae in hac re, attentis can. 276, & 2.3 et can. 1174?

Principium est leges liturgicas vim suam retinere «*nisi earum aliqua Codicis canonibus sit contraria*» (can. 2). Et revera Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino «*nonnullas variationes apparare curavit in novas editiones librorum liturgicorum, ad normam*

⁴⁸ THOMAS DE VIO [Cajetanus], *Summula peccatorum*, p. 63 (in editione adhibita desunt paginae de loco et anno editionis).

⁴⁹ Sic dixerunt in Aula Conciliari nonnulli Patres v. gr. Excmus. DOUMITH (AS I.2.512-513), Excmus. PRINTESIS (AS I.2.558), Emmus. Card. VALERI (AS I.2.331), Excmus. FRANIC (AS I.2.423). Videas quoque PH. MAROTO, *Institutiones Iuris Canonici* (Romae 1921) 620.

⁵⁰ Cf. Excmus. PRINTESIS: (AS I.2.558).

Codicis Iuris Canonici nuper promulgati, introducendas»⁵¹.

Ad Institutionem Generalem de Liturgia Horarum quod spectat, in re nostra textus hoc modo emendatur:

<i>Textus prior</i>	<i>Textus emendatus</i>
«...integrum eius cursum cotidie persolvant, Horarum veritate...»	«...integrum eius cursum cotidie persolvendi obligatione adstringuntur, Horarum veritate...»

2. Nova formula desumitur ex can. 1174, § 1, qui rursus accedit ad formulam MP «*Ad Pascendum*», 15 augusti 1972, dicentem: «...ex ipsa sacra ordinatione obstringuntur obligatione Liturgiam Horarum celebrandi»⁵². Voluitne legislator aliquid emendare hac innovatione? Responsio est: voluit obligationem iam vigentem clarius exprimere, non vero eam modificare, quia:

a) norma can. 276, § 2, 3^o non est absoluta sed remittens ad «*proprios et probatos libros liturgicos*»; quod quidem valet non modo de ordine servando in recitatione, sed etiam de ipsa obligatione definienda, modo contrarium non probetur;

b) haec natura normae, praescriptiva quoad rem et remissiva quoad determinationem rei, cohaeret cum ipsa norma Constitutionis *Sacrosanctum Concilium* 96, ubi assertio «*clerici... obligatione tenetur totum Officium persolvendi*», dein temperatur dicens: «*ad normam art. 89*», ubi de «*ordine*» seu «*hierarchia*»

⁵¹ CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS ET CULTU DIVINO, Decr. «*Promulgato Codice*», 12 sept. 1983, in *Notitiae*, 19 (1983) 540.

⁵² EV 4/1790.

horarum fit sermo, aliae aliis potiores. Consentanea etiam cum locis parallelis, v. gr. cum MP «*Ad Pascendum*», in quo utraque nota, et praescriptiva et remissiva, habetur: «*Diaconi ad Presbyteratum vocati ex ipsa sacra ordinatione obstringuntur obligatione Liturgiam Horarum celebrandi*»; sed addit statim: «*...ad normam nn. 29-30 Institutionis Generalis de Liturgia Horarum*».

c) non constat de voluntate legislatoris quidquam innovandi in hac materia, tali cura exarata iuxta Concilium, intervenientibus pluribus Dicasteriis S. Sedis et sub vigilantia paterna ipsius Romani Pontificis. Et si quidquam innovatum fuisset, clare constare debuisset⁵³.

d) si dubium quodlibet adhuc exstaret, aplicetur norma can. 21: «*In dubio revocatio legis praeexistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt, et his, quantum fieri potest, conciliandae*».

3. Aliquis forse obiciat a sensu contrario i.e. pro minori obligatione ex loco parallelo iuxta Ordinem consecrationis Virginum:

«*Ad orationis munus explendum, virginibus sacris vehementer suadetur ut Officium Divinum, Laudes et Vesperas praesertim, cotidie recitent; ita, vocem suam cum Christo*

⁵³ In coetu penes Congregationem pro Sacramentis et Cultu Divino, curante de parandis variationibus in libros liturgicos introducendis (Cf. *Notitiae* 19, 1983, 280-281), Codice Iuris Canonici iam promulgato, nonnulli consultores proposuerant ut IGLH in nostra re emendaretur hoc modo: enuntietur obligatio, ceteris relictis (nempe si gravis aut levis) ad theologiam moralem. Sed tandem aliquando propositio sublata fuit ab ipsis proponentibus, plures ob causas, inter quas etiam ne mutaretur ratio paedagogica hucusque exercita a legislatore in hac materia, magis via persuasionis quam imperii procedens.

*summo Sacerdote sanctaque consociantes Ecclesia, caelestem Patrem sine intermissione laudabunt et pro totius mundi salute intercedent*⁵⁴.

Sed inmerito, nam etsi agatur de materia simili, obligatio explicitè limitatur ratione subiecti, non aliter ac fit pro diaconis permanentibus («*maxime decet... aliquam saltem partem Liturgiae Horarum, ab Episcopali Conferentia definiendam, recitare*»)⁵⁵, sive pro religiosis non clericis («*...iuxta iuris proprii praescripta Liturgiam Horarum digne celebrent*»: can. 663, § 3).

IV. De nonnullis observationibus complementariis.

1. *De veritate horarum.* De illa fit sermo in Constitutione SC 88, in IGLH 11, in CIC can. 1175. Constitutio *Sacrosanctum Concilium* 94 sollerter proclamat talem veritatem temporis, «*sive ad diem revera sanctificandum, sive ad ipsas Horas cum fructu recitandas*», inter altiora principia instaurationis in hac re; dum can. 1175 ait ut «*in liturgia horarum persolvenda, quantum fieri potest, verum tempus servetur uniuscuiusque horae*»⁵⁶.

⁵⁴ SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO, «*Ordo consecrationis virginum*», 31 maii 1970, *Praenotanda* 2, in EV 3/2555.

⁵⁵ MP «*Sacrum Diaconatus ordinem*», 18 iunii 1967, 28, in EV 2/1397; IGLH, 30, in EV 4/166.

⁵⁶ Veritas temporis ante instaurationem Concilii Vaticani II parum curabatur. Mens enim erat: qui integrum officium recitet a media nocte ad mediam noctem, substantiae obligationis satisfacit. Immo, probati auctores dicebant: «*Anticipatio Matutini et Laudum subsequentis diei permittitur nunc eo indulto generali (cf. SRC 4158) pro recitatione privata ab hora secunda vespertina praecedentis diei*» (M. ZALBA, *Theologiae moralis Compendium*, vol. 2, Madrid 1958, 204).

Revera cursus Horarum ita instauratus est «*ut Horis veritas temporis... redderetur, simulque ratio haberetur hodiernae vitae condicionum*»⁵⁷. Si talis veritas non servetur, serio timeri potest ne formalismi vitandi iterum periculum imineat et horarum recitatio tandem aliquando ut merum pensum diei persolvatur. Hac de causa etiam reiectae sunt, in discussione conciliari, emendationes Patrum proponentes ut in Officio instaurando abstraheretur a qualibet cura de «horarietate», et in lucem poneretur tantum factum ipsum orationis, quolibet tempore peragendae⁵⁸. Quaeritur tamen de vi iuridica huius normae de veritate horarum. Agitur de vero praescripto aut de mera commendatione? Veritas Horarum esset ad finiendam vel ad urgendam obligationem, ita tamen ut veritatis Horarum non detur absoluta praescriptio modo intra diem Horae persolvantur?

Attento textu et historia textus can. 1175, veritas horarum commendatur, non vero praescribitur. Sic patet praesertim ex illa clausula «*quantum fieri potest*», quae addita fuit textui proposito «*ne detur absoluta praescriptio*»⁵⁹. Confirmatur ex ipsa Constitutione SC 88, in qua etiam clausula «*quantum fieri potest*» mitigat praescriptum conciliare de instaurando cursu Horarum «*ut Horis veritas temporis... reddatur*».

Non aliter, ut videtur, apud Institutionem Generalem de Liturgia Horarum interpretanda est clausula «*Horarum veritate, quantum fieri potest, servata*»⁶⁰,

⁵⁷ IGLH 11, in EV 4/145.

⁵⁸ Cf. Relatio Excmi. A. MARTIN circa emendationes propositas [de Officio Divino], in AS II. 3.130-131.

⁵⁹ *Communicationes* 15 (1983) 243.

⁶⁰ IGLH 29, in EV 4/164; etiam n. 11, in EV 4/145.

attenta historia elaborationis huius numeri. Nam in schemate parato iuxta indicationes Episcoporum ad volumen *Descriptio et specimina Officii divini*, die 3 martii 1970, veritas horarum praescribatur et quidem non ad urgendam sed ad finiendam obligationem:

«Presbyteri quotidie Officium Divinum recitent, Horarum veritate servata. Illas vero Officii Divini Horas quae cardo eiusdem sunt, idest, Laudes, ut preces matutinas (non ultra meridiem recitandas), et Vesperas, uti preces vespertinas (non ultra mediam noctem dicendas), nunquam omitant nisi gravi de causa»⁶¹.

Redactio, tamen, dein mitigata est, ut videtur, ne difficultates innecessariae haberentur ex parte eorum qui «*illud principium ideale retinendum esse*» fatentur, sed «*rogant ne in praxi urgeatur quia impossibile est*», iuxta sententiam nonnullorum Patrum in aula conciliari»⁶².

His tamen dictis vere probabilis asserenda est sententia eorum pro quibus veritas Horarum est ad finiendam, non mere ad urgendam obligationem, ut ait notus liturgista V. RAFFA⁶³; accepto quidem quod veritas Horarum adimpletur non tantum si momento *optimo* persolvatur, sed etiam si momento *congruo*, i.e. «*quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae*» (SC 94)⁶⁴. Quia: a) tam

⁶¹ Citatum supra nota 36.

⁶² Cf. Relatio Excmi. A. MARTIN circa emendationes propositas [de Officio Divino], in AS II. 3. 130.

⁶³ Cf. V. RAFFA, «L'Ufficio Divino: la "veritas temporis"», in «*Notitiae*» 20 (1984) 624-643, praesertim pp. 645-649.

⁶⁴ Tale tempus congruum dici potest: a) pro Laudibus, «mane»; b) pro Vesperis, «vespere», c) pro Officio lectionis, tempore potiore ad verbum Dei in seipsos recipiendum; d) pro Hora minore, illud quod ad veritatem Horae, inter Laudes et Vesperas, vere accedat; e) pro Completorio, paulo ante cubitum.

Concilium quam CIC loquuntur de Liturgia in qua sanctificatio et cultus insimul habentur (cf. can. 834, § 1) et abhorrent a quolibet formalismo, Liturgiae corruptore, in quod facillime devenitur si veritas Horarum non servetur; b) criterium de veritate horarum fuit directe et expresse approbatum ut totus cursus diei ac noctis per laudem Dei consecratur⁶⁵; c) consecratoria ex non servata veritate Horarum essent valde negativa, ut dixit Relator in Concilio:

«Si improbatur [principium de veritate Horarum] et si libenter admittitur officium quacumque hora persolvi posse, sine ullo respectu ad breviarii Horarum nomen et precum textum, grave damnum spirituale pro sacerdote inducitur: formalismus, mendacium admittitur in oratione. Ita pensum et opus servile fit breviarium, ut illud legant sacerdotes dum alii actioni liturgicae intersunt...»⁶⁶

d) interpretatio de tempore *optimo* et de tempore *congruo*, sufficienter et ingeniose clausulam mitigationis can. 1175 legit.

Attentis omnibus iam dictis, concludi potest: a) si quis Officium recitat in die, quamvis de veritate Horarum non curet, obligationem adimplet; b) enixe tamen commendanda est veritas Horarum, dato eius momento pro sanctificatione temporis et pro nutrimento spirituali orantis; c) immo, sententia iuxta quam si aliquis vere non posset Horam recitare iuxta veritatem temporis eo ipso dispensaretur a tali hora recitanda⁶⁷, vere probabilis iudicanda est; d) mens

⁶⁵ Cf. Relatio Excmi A. MARTIN circa emendationes [de Officio Divino] in AS II. 3. 120-131.

⁶⁶ *Ibid.*, p. 130.

⁶⁷ Sic v. gr. V. RAFFA: «*Passato il tempo utile, concepito nella maniera più larga possibile, cessa, almeno secondo la nostra opinione, l'obbligo di celebrare l'Ora tralasciata, proprio perché ciò sarebbe contro la veritas horarum*» («L'Ufficio Divino: la veritas horarum», *Notitiae*, 20 (1984) 648.

tamen est non de facili excusatione ab obligatione, sed de vera sanctificatione temporis et de fuga a quolibet formalismo.

2. *De commutatione Officii Divini cum alia actione liturgica.*

Nota est praescriptio conciliaris de opportunis commutationibus Officii Divini cum actione liturgica a rubricis definiendis (SC 97). Si primitus in schemate discusso non dabatur, dein plurimis Patribus postulantibus addita fuit et fere unanimiter suffragata a Patribus⁶⁸. *Quod praecipue valeret de diebus dominicis, de festis de praecepto et de pervigiliis festorum*», dixit Relator⁶⁹.

Si vero rubricae consulantur, tales commutationes non definiuntur, si excipias quae iam primitus statuebantur sive pro Triduo Paschali, sive pro Nativitate Domini⁷⁰. Qua ratione? Quia legislator voluit, ut videtur, huic necessitati subvenire magis quam lege generali, solutione ad casum, nempe via dispensationis vel commutationis ab Ordinario. Revera ait SC 97: *«In casibus singularibus iustaque de causa, Ordinarii possunt subditos suos ab obligatione Officium recitandi ex toto vel ex parte dispensare vel id commutare»*.

Facultas Ordinariis hic agnita non videtur ultra procedere quam ordinaria facultas administrativa Ordinariorum pro eorum subditis, ideoque necessaria non esset mentio explicita. Attamen dato et momento historico (i.e. agebatur de primo documento Concilii Vaticani II) et speciali iure in re liturgica, valde

⁶⁸ Cf. AS II. 3. 259.

⁶⁹ Relatio Excmi A. MARTIN circa emendationes [de Officio Divino], in AS II. 3. 141.

⁷⁰ Cf. *Liturgia Horarum iuxta Ritus romanum*, vol. I (Typis polyglottis vaticanis 1971) 322; vol. II, p. 354, 401.

centralizato, bonum fuit talem facultatem explicite recensere, quam facultatem Ordinarius (ad mentem can. 134, § 1), iuxta normas de rescriptis, in casibus singularibus «*quoties id ad eorum spirituale bonum conferre iudicet*» exercere valet.

3. *De modo recitationis*, i.e. de quaestione ab aliquibus Patribus suscitata: «...*cur in recitatione privata non sufficeret oculis tantum percurrere lectionem*»⁷¹; vel iuxta alium, «*sine necessitate vocalizationis*»⁷²?

Nullus fit sermo de hac re, de qua iam auctores tractabant diverse sentientes»⁷³, neque in Constitutione Sacrosanctum Concilium neque in Institutione Generali de Liturgia Horarum. Sed nec praescribitur recitatio *oralis*, quando quis privatim Officium persolvit. Ergo licet illud simpliciter oculis legere. Quod iuxta normas interpretationis clarum iam videbatur, clare et explicite affirmatum est a Congregatione pro Cultu Divino. Ad propositum dubium, «*utrum in Liturgia Horarum a solo celebrata verba lectionum proferri debeant an sufficit ea oculis legere*», responsio fuit: «*Sufficit ea oculis legere*». Sed in ulteriore explanatione responsionis, mens Congregationis amplius pergit quam dubium propositum, quia talem modum recitationis extendit ad universam Liturgiam Horarum a solo recitatam: «*Hic finis Liturgiae Horarum* [i.e. sit oratio propria, sincera et fructuosa, fons pietatis, nutrimentum vitae spiritualis et quotidiani laboris apostolici] *quandoque facilius consequi posset*,

⁷¹ Emmus. Card. V. VALERI: AS 1.2.331.

⁷² Excms McEENEY: AS 1.2.545.

⁷³ Cf. E.F. REGATILLO, *Institutiones Iuris Canonici*, ed. 7^a vol. I (Santander 1963) 544-545, n. 747; M. ZALBA, *Theologiae moralis Compendium*, vol. 2 (Madrid 1958) 202-203.

eam, praesertim lectiones, persolvendo, in recitatione a solo, absque orali recitatione singulorum verborum»⁷⁴.

Unde norma vigens est: unusquisque seligat modum qui ei magis iuvet. Si aliquis iuvamen inveniat in recitatione mere contemplativa, sic faciat.

JULIO MANZANARES

⁷⁴ *Notitiae* 9 (1973) 150. Quoad valorem iuridicum huius responsionis, animadvertas quod fere initio rubricae «Documentorum explanatio», in qua responsio habetur, apud *Notitiae* aperte dictum fuit: «*Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fient, si casus fert, a competenti Autoritate in Acta Apostolicae Sedis* (*Notitiae* 2 1966, 29). Sed pro re nostra sufficiens videtur si apud *Commentarium cura Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia* editum, talis datur responsio, nullo auctore privato allato, sed sub auctoritate ipsa Consilii.